



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Rufus Abbas Cleriacensis, Temporisator vulgo appellatus, Catholicum
se simulat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

ter permansit, sicque animæ & corporis libertati simul consuluit. Conradus vero, abjecto religioso habitu, & assumpta juvenula comite, in Helvetiam profugit; ac tandem Genevam profectus, & ut animæ, ita corporis quoque oculis orbat, in magnis miseris vitâ exegit. (a) Rufus itidē comprehensus sed reginæ intercessione mox liberatus, Neracum se abdedit; eiusdem favore Abbas Cleriacensis, mox etiam Oloronensis factus Episcopus. Sic quidem miseræ oves lupi custodiæ erant commissæ, eam habitu quam ceteris rebus Catholica Romanæ Ecclesiæ filium se simulantis. Etsi vero Calvinus Rufum hunc tamquam unum ex Antecessoribus suis, à quibus doctrinam suam hauserit, laudat; ipse tamen tam voce quam scriptis sæpe sæpius protestatus est, se nec Zuinglianum nec Lutheristam esse, sed Rufistam. Hoc certe elogium in Ecclesiastica illa historia ei tribuitur, quod aliquantum quidem profuerit, numquam tamen roformatis ecclesiis plane se consociarit. Vidi apud hominem quendam doctissimum, Aquitanix nostræ civem, scripta quædam Rufi de S. Eucharistia, in quibus nescio quod corpus Christi spirituale & glorificatum, & carnis & ossium expers, sibi imaginatur; quem errorem is de quo dixi homo ita imberbat, ut nulla ratione ex animo eius evelli posset. Et in hanc quidem sententiam differentem ipsum non semel audivi: quam eandem libellus quidam ipsius super eadem materia scriptus, sed nondum impressus, præferrebat. In moribus sane ac vita nihil erat quod magnopere reprehenderes, nisi falsa doctrina cetera omnia corripisset ac dehonestasset. Nam & in numero suo obeundo ita erat assiduus, ut sæpe uno die ter concionaretur: multum eius virtutes illustrante Lascarniensis Episcopi ignavia, qui nobilissima Albretanorum ortus familia, voluptates unice sectabatur, ac reginæ gratiam in omnibus aucupari studebat. Quid boni putas miser hic populus talibus pastoribus commendatus sperare poterat? Quid aliud, inquam, quam ut hæreticis ac lupo infernali præda tandem fieret?

(b) Contra Rufum hunc in primis Calvinus librum *Adversus Nicodemitas* scripsit: Beza vero quod Navarræ regina tandem ab ipsis defecerit, huic præcipuè imputandum censet, ut quia Catholica Ecclesiæ dogmatis & ceremoniis non ita longe abiret. Missam celebrans, communionem cum aliqua populi parte sumebat: prius vero, altari tergum obvertens, sermonem ad populum de Sacramenti illius mysterio habebat. Hic primus contra

Ecclesiæ omniumq; tot sæculorum consensu confirmatorum Conciliorum auctoritatem Catholico indurus habitu, communicantibus Eucharistiam sub utraque specie publice porrexit. Ut vero simplicem populum ad se attraheret, vulgarisermone in orationibus plerumque utebatur. Vicarium habebat Benedictini ordinis Monachum Aimericum nomine, sibi plane geminum, qui etsi religiosum habitum gestaret, nihil minus tamen quam Catholicam religionem prædicabat. Idem Ruso mortuo, abjecto cucullo, ductaque vxore apud Cleriacenses novi Evangelii Minister factus, infortunatam vitam duxit, quod, ut ipse dicere solebat morosam vetulam arripuisset.

(c) Porro quia Rufus ille singularis alicujus sanctitatis speciem in moribus & vita externa præ se ferebat, ut qui loco canum & vertagorum pauperum catervam, & pro equis ac satellitio, multos pueros & destinatos litterarum studiis aleret; facile fiebat ut multorum animis unâ cum novæ religionis desiderio, (in qua tamen ipse adhuc animi dubius fluctuabat) antiquæ odium palliatim instillaret, O miseros, qui à regia via umquam ad incognitas semitas deflexerunt! Quod si cuique religionem suo pede & modoso fabricari liceat, Deum immortalem, quæ inde confusio nascetur? Id si Ruso licet, cur non & Calvino? Si Calvino, quo minus Serveto? Sic fiet, ut quot capita, tot novarum religionum architecti ac diversarum sectarum auctores futuri sint. Ecquis vero tandem in tanta humanarum opinionum varietate & inconstantia errandi finis est futurus? Quæ enim umquam tam perversa ac tam monstrosa fuit opinio, quæ non colore aliquo pingi potuerit quæque non suos invenerit astipulatores? eos præsertim qui vel levitate vel ambitione quadâ ab Ecclesia jâ discesserunt. Nullum certe dogma tam absurdum est, quod non aliqua S. Scripturæ auctoritate probari quodammodo & palliari possit, si cuique eam suo sibi sensu interpretari, & ad quod vult accommodare liceat. Rufus certe noster ex eorum fuit numero, qui novam constituere ecclesiam satagunt, sed pendentes animi, quam viam insistere, aut quibus modis id efficere debeant, ignorant. Memini senem quendam Cleriacensem mihi narrasse, idque in honorem, uti putabat, prædicti Abbatis, quum in lectulo morti proximus jaceret, ex longo animi deli-

(a) Rufus Abbas Cleriacensis, deinde Oloronæ sit Episcopus. (b) Rufus à Calvino impugnatur. (c) Rufus speciosam agit vitam.

deliquit, ad se reversum circumstantibus, è quorum numero & iste senex erat, dixisse, à diabolo sibi exprobratum, quod tam longo tempore missificando, multiplicem idololatriam commisisset. Cui ego, Atrox sane, inquam, hoc est peccatum, contra diaboli scilicet decalogum, & digna tali auctore exprobratio sive obiectio: qua Lutherum idem etiam exagitavit, ut libro primo ostendimus. Porro in oppido hoc Cleriacensi generali quadam conjuratione primò omnia altaria eversa, statum contracta, ac tota religionis facies mutata fuit, neque ad hoc usque tempus ibi Catholica Ecclesia potuit restaurari. Vah! quam difficile est religionis quam semel cum nutricia lacte quis imbibit, oblivisci! Quod si quis temporalis alicujus commodi respectu religionem mutet, idem tamen ad vomitum facile redibit, & in pristinos errores relabatur. Et quem ad modum natura difficillime vinci potest, ut quæ etià furcis, ut Poeta inquit, expulsa, tamè usque recurrit: sic tamen veram quàm falsam religionis, in qua quis educatus est, opinioniones vix ac ne vix quidem, nisi singulari interveniente Dei gratia, ex hominū animis evelli queunt. Tanti est à teneris assuescere. Hinc D. Augustinus, Valde difficile esse ait, id cui quis assuevit, relinquere, ac voluntatem tanto acrius obniti quanto magis longa consuetudine sit indurata. Et hæc tamen quidem fontem tibi monstravi earum miseriarum quæ primo Aquitaniam, ac deinde universam Galliam inundarunt. Et ut illa prima Novitates istas ac religionis mutationem accepit; sic, quantum ex humano judicari potest ingenio, prostrema ad Catholicam Ecclesiam gremium videtur reversura.

QUOMODO HÆRETICI FRANCISCVM

Regem seducere conati sint; & quomodo Navarra Regina Catholicam Ecclesiam fuerit reconciliata.

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTUM.

- I. Regis Francisci animus ab hæreticis & eorum fautoribus multipliciter tentatur.
- II. Gulielmus Bellajus Langens ab eodem in Germaniam mittitur: & Missæ quædam forma septem punctis sive articulis comprehensa proponitur.
- III. Rex Philippum Melanchthonem sub fide publica in Galliam evocare statuit.
- IV. Sed sapienti Turnonii Cardinalis consilio sententiam mutat.
- V. Navarra regina ad Catholicam Ecclesiam redit.

VI. Regis ad Melanchthonem Epistolâ, cum hujus ad illum responsio.

I. DVm importunis feminarum illarum precibus, dum variis de religione sermonibus ac disputationibus, atque etiam quorundam imprimis Melanchthonis (qui eodem tempore libellum emiserat de utriusque religionis concordia) & aliorum litteris animus Regis fatigatur; Lutherani id præcipue operam dabant, ut quosdam Ecclesiastici ordinis tam Monachos quam Parochiarum Pastores, ad suas partes traducerent, & non tantum ad exagitanda Ecclesiasticorum vitia, verum etiam ad carpandos, ut videri volebant, in Ecclesia grassantes abusus inflammarent. Nec mora procedunt mox vanales homines, è suggestu tam in personas Ecclesiasticorum quam universum Ecclesiam statum varia deblaterantes. Quorum sermonibus ad Regem delatis, rex ipse audire eos decrevit. Ut vero olim Gallus D. Petrum Apostolum, cantu suo erroris admonitum ab interitu retraxit; sic alius quidam Gallus optimum nostrum Regem pæne in extremam perniciem traxisset. Erat vero Gallus hic ad D. Eustachii Lutetiam Pastor, qui parum abfuit, ut diximus, quin gallicinio suo non è somno homines excitaret sed in exitiabilem atque æternum somnum dederit. Quamquam enim Lutheri schisma nequaquam probaret, ut quo Ecclesiam rupta erat unitas, in sermonibus tamè, quos præsertim de Sacramento altaris, habebat, multa valde imprudenter inculcabat, adeo ut aliquando diceret, species illis nequaquam adhærescendum, sed fidei alis ad cælos evolandum esse, illud subinde repetens: *Sursum corda, sursum corda.* & ad eum sensum D. Pauli Apostoli verba allegans, quibus ea quæ supra sunt in cælis, non ea quæ infra sunt in terra, querere nos jubet, postquam Iesus Christus à mortuis resuscitatus, ad dexteram Dei patris cõsedit. Hæc ille verba ad nauseam usque inculcabat: quasi tanti sacramenti nulla habenda esset ratio vel consideratio, sed cor tantum elevandum, nec Christus alibi quàm ad dexteram Dei patris querendus esset. Quid multis? Bellai Cardinalis opera effectum fuit, ut Gallus hic in secretiorè locum vocatus, explicata sua de Sacramento Altaris sententia regi scrupulos non leves injecerit. Idem de aliis quoque Fidei articulis regi quum varie respondisset, ad Inquisitorem missus est; à quo examinatus & damnatus, mox tamen jussu Regis liberatus fuit, ea conditione, si assertiones suas S. Scripturæ testimoniis probare posset. Interea vero Lotharingus & Turnonius Cardinales Galli hujus cantu excitati, veriti ne

Ff

tex